



*Ein Buch von den  
...  
...  
...*





00

G. 9. 234.



CASPARIS DELLINGS.  
HAVSII REVALIENSIS  
LIVONI,

DE BENEFICIIS  
PER IESV CHRISTI RESVRRE-  
CTIONEM GENERI HVMANO EXHI-  
bitis, & de gratiarum actione  
pro ijsdem,

ORATIO.



HAMBURGI

In Officina Typographica Ioannis Bideri,  
Anno Epochę Christianę

CIO. IO. XXCVI.  
Mense Martio.



CLARISSIMIS, CONSVLTISSI-  
MISQVE VIRIS, ERVDITIONE  
& virtute ornatissimis

D. D. D. D.

CUNRADO DELLINGSHAVSIO, I. C. AC  
inclytæ Reipub. Reualiensis Syndico vigilantissimo,  
parenti suo omni obseruantia colēdis :

EBERHARDO EGGELLINGIO, ILLVSTRISS.  
prin. ac D. D. Iulij, Brunsvvicensium & Luneb. ducis pos-  
tentissimi à Secretis fidelissimo, consan-  
guineo optimo.

MAVRICIO BRETHOLDO, REIPVB. RE-  
ualiensis Senatori amplissimo, auunculo cariss.

EBERHARDO DELLINGSHAVSIO,  
Reipub. eiusdem,

ET IVONI AB HOYES, REIPVB. HAMBVR-  
gensis ciuibus primarijs, patris suauissimis.

AC OPTIMA SPE, PRAECLARAQVE IN-  
dole pueris, Bernhardo VVinckelmanno, D. Bernhar-  
di, senatoris Reualiensis filio, consobris  
no iucundissimo.

CUNRADO AC EBERHARDO DELLINGS-  
hausijs, D. Cunradi filijs, fratribus suis germanis,

Hanc dedicat consecratq; orationem ex vero & naturali amore  
Caspar Dellingshausius Reualiensis Livo, filius, cōs-  
anguineus, frater.







possum, ac imprimis in studio oratorio longè nobilissimo se exercet, sicut aliquot declamationes & orationes, de sedulitate scilicet, de styli exercitatione, & de Socrate Philosopho acutissimo publicè ex cathedra nostra habuit, cum approbatione & admiratione totius auditorij. Non credas autem me hoc auribus tuis dare, opus probat artificem & arguit, suaq; maximè virtus quemq; optimè commendat, vt vino vendibili nō opus sit suspensa hædera, sicut trito dici solet prouerbio. Hæc denuo repetere volui, vt scires quo loco res nostræ & filij essent. Vale felicissimè in Domino, qui omnes tuos conatus & actiones ad nominis sui gloriam, & reipub. vtilitatem dirigat. Noua memoratu digna ex Casparis filij litteris, & aliorum relatu te cognoscere arbitror, ideoq; his recitandis supersedebo. Mutationes imminere in omnibus imperijs non est dubium, oremus modò Deum Opt. Max. vt semen sanctum inter nos sibi conseruet, & in ira misericordiæ recordetur, ac halcyonia Ecclesiæ concedat. Lunęburgo *ως τὰ χριστού* Nonis Decemb. instante Anno à Melsia exhibito & incarnato C I D. I D. X X C V I. cuius felix auspiciū, felicius curriculum, & felicissimum exitum tibi, tuisq; ex animo precor. Hoc votum instar strenę & *ἀποφορήτων* loco habeas. Iterum Vale.

DE



DE GRATIARVM  
ACTIONE PRO RESVRRE-  
CTIONE IESV CHRISTI,  
ORATIO,

Conscripta á  
CASPARE DELLINGS-  
hausio Reualienfi.

**N**ON equidem miror, Auditores, hodiernum diem  
IESV CHRISTI, DEI Opt. Max. & Deipa-  
ra virginis Mariæ filij festum atq; solemnem, fre-  
quentissimo principum conuentu & patrum, pu-  
blica Christiani populi laticia, iucundissimis do-  
ctissimorum virorum concionibus, maxima antiquæ religionis cæ-  
remonia celebrari: miror porius, tacere quemquam, & in tanto  
gaudio populi Christiani vniuersi continere se posse, quin non alta  
voce, manibus in cælum sublatis, Deo vt Opt. ita Max. natura vno,  
triplici hypostasi, pro ingentibus donis suis, generi humano præsti-  
tis, gratias agat tantas, quantas mens eius capere potest, maximas.  
Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamq; cle-  
mentiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum,  
tam deniq; inperscrutabilem prudentiam, & plus quàm diuinam  
sapienciam, quis tacitus vllò modo præterire potest? Christo enim  
mortuo & resuscitato, singulis vocem in laudem ipsius resolutam  
arbitramur, à quo non tantum nostra nobis, sed totius generis hu-  
mani etiam salus reddita est & restituta. Etenim primorum no-  
strorum parentum lapsu, aternis omnes miserijs & pænis deuoti  
addictiq; eramus, & nisi Christi passione, morte ac resurrectione  
liberati essemus, adhuc horrendum illud monstrum diabolus impe-  
rium in nos haberet. Debetur igitur meritò omnium rerum effe-



Et ori & molitori IESU CHRISTO, quem venerantes animo quasi presentem intuemur, propter magnitudinem beneficiorum erga uniuersum genus humanum, ut omnes ordines, omnes aetates, omnes nationes, gestiant, exsultent, exclament, & eius magnitudinem, quoad possint, voce, cantuq; declarare conentur. Sed me, hanc orationem habendam non ad ingenij confidentiam demonstrandam, sed praeceptori nostro, viro clariss. morem gerendum, aggressum, haeres ipsa vehementer conturbant; auctoritas loci, ingenij infirmitas, rerum difficultas. Locus hic ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus timorem mihi non minimum affert; quoniam nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere statuo; Ingenij infirmitate ita profecto coarctor, ut condiscipulorum meorum expectationi satisfacere non possim, utpote, qui cum illis neq; aetate, neq; doctrina, neq; ingenio, quod certo scio, comparandus sim. Res vero est eiusmodi, ut nullius tantum flumen sit ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quae non dicam exornare, sed enarrare Iesu Christi beneficia possit. Verum cum sacris litteris proditum sit, ut, quantum hac mortalitas nostra, infirmitasq; natura, in hisce tam caecis humanae vitae nubibus & procellis potest, miranda Dei opera praedicet, & ad alios deferat, illiq; Christo immortalis pro maximis suis beneficijs gratias immortales agat; ego, posthabita omni & difficultatis & indecori specie, hanc dicendi prouinciam suscepi, quae ad nominis diuini gloriam, quam ex infantium ore sibi Deus comparari vult, pertinet. Et cum haec quasi profectus mei sint primitiae, malui à sacris quam prophanis initiari. Quamobrem vos omnes, Auditores humanissimi, condiscipuli amantissimi, obnixè rogatos volo, ut me hisce de rebus grauisimis dicentem beneuolis auribus audiatis. Et si hanc meam oratiunculam fluctuare nunquam & de suo cursu depulsam temerè iactari videritis, equo animo feratis pro singulari vestra humanitate, & veniam infirmitati detis, idq; totum magnitudini & obscuritati rerum adscribetis.

Atq;



Atq; ut inde oratio mea proficiatur, unde hac omnis causa  
ducitur: Beneficium maximum in nos, maioresq; nostros, atq; adeo  
in totum terrarum orbem collatum est à Deo Opt. Max. patre eter-  
no & filio eius unico Domino nostro IESV CHRISTO, quorum  
alter filium mittendo, alter patri parendo salutem nobis, vitamq;  
donavit. Postquam enim ad imaginem Dei homo conditus, &  
princeps animalium reliquorum, custosq; pulcherrimi horti consti-  
tutus est, nulla vi coactus, iudicio suo ac voluntate serpentem Dia-  
boli instrumentum est secutus, & de fructu isto verito, cōtra man-  
datum, voluntatemq; diuinam comedit, atq; ita mandatum Dei  
transgressus aeternae mortis & damnationis obnoxius factus est.  
Hinc ira Dei, vis mortis, omniumq; calamitatum genera & mise-  
riarum in ipsum, posterosq; deriuabantur. Sanctitas, ex hominum  
corde sublata, ceciderat; opus illud, quod ad creatorem proximè  
accedebat, totum erat in diaboli potestate; homo lapsus & à dia-  
bolo deceptus, non satis erat paratus ad tanto hosti resistendum.  
Quare cum iam nullum superesset consilium, nulla consolatio,  
Deus ille Opt. Max. creaturarum suarum misertus, tutorem se re-  
de, optoremq; illis daturum, pollicebatur, & caput serpentis vene-  
ficum semen mulieris contriturum, praedicebat. Hic igitur vnus à  
patribus nostris, liberisq; eorum ad salutem recuperandam Media-  
tor deposcebatur, ac expetebatur; idem hic vnus à Sathana metue-  
batur, praeterea nemo. Cū verò iam tempus appropinquasset, diesq;  
ille, qui toties erat exoptatus, summoq; desiderio à patribus nostris  
expectatus, aduenisset, in carnem misit Deus filium suum vnige-  
nitum: Atq; ita tot & tam varias vaticinationes de venturo sal-  
uatore & Messia adimpleuit. Ille autem Deus, homo factus, opus  
aggressus est illud, quod pater omnipotens ad sedandam suam iram  
requirebat, & mortem moriendo superauit, vitamq; reuiuiscendo  
nobis reconciliauit. Huius iam beneficij recordationem offert no-  
bis hoc tempus, & gratiarum actionem ut à singulis Christianae re-  
ligionis professoribus, sic à nobis omnibus requirit.

Causa



*Causa quæ sit, videtis, nunc quid agendum sit, considerate: Primum mihi videtur de genere beneficiorum: deinde de magnitudine: tum de gratiarum actione pro ijs agenda, dicendum esse. Genus est enim eiusmodi, quod maximè nostros animos ad gratiarum actionem excitare atq; inflammare debet: In quo agitur iniusticia & benedictio nostra quæ nobis à Christo, sublato peccato ac maledictione, restituta est: agitur libertas nostra, pro qua filius DEI seruitutem subiit grauissimam: agitur hæreditas vitæ æternæ, quæ, placato parente æterno, à Christo fratre nostro nobis tradita est: agitur pax & læticia conscientie, quæ in gratia diuina per hunc unum acquiescit: agitur corporum deniq; nostrorum resurrectio, quam resurrectione Christi partam nobis esse sacræ litteræ testantur.*

*Et quoniam de Iusticia nostra primum dicere capi, recognoscite quæso mecum Aud: quonam in statu res nostræ posite fuerint, antequam Christus, deletis peccatis, resurgeret? Postquã enim primus homo, mandato diuino violato, dolorem sibi, mærorem toti posteritati peperisset, pro iniusticia iniusticiam reliquit, pro benedictione maledictionem in mundo propagauit. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui non intelligat, quid ex ira diuina profectum sit, quæ tanta fuit, ut eam non homo, non angelus, nõ creatura sedare potuerint: sed mors unigeniti & æterni filij DEI. Quid? quod Deus calitus hominum genus inspiciens, neminem, qui bonum operaretur, inuenerit, & ne unum quidem? Quid? quod idem ille Deus cogitationes hominum perditas & deprauatas esse cõqueritur? Neg; benedictione opus fuisset, quam Abrahamus, quã Iacobus, quã Dauid & alij, generi humano per Christum paratam quotidie ferè audierunt, nisi maledictio antecessisset. Quod si quis adhuc de his dubitat, contempletur is legem & consideret, quæ à nobis & quanta requirat: facile perspiciet, in quam peruersitatem mortalium animi deflexerint, cum, ne minimum quidem eorum quæ postulat, præstare nos posse, cognouerit. Cur igitur præscri-*

*p sit*



psit nobis legem Deus, cum nemo hominum satisfacere ei potest?  
Non eam ob causam dedit, Auditores, ut quasi per nos & spon-  
te mandatis suis obedire & ad voluntatem suam vitam dirigere  
nos posse ostenderet: (Novit enim, novit imbecillitatem nostram  
& fragilitatem) sed ut monstraret peccatorum sentinam in vi-  
sceribus ac renis pectoris nostri reconditam esse. Cur autem ma-  
ledictionem addidit? Mens DEI iusta, o homo, nil nisi iusti-  
ciam querit: Atq; idcirco nos omnes, peccatis polluti, iniusticia  
sordidi, nobilissima legis sententia occidissimus, eternaq; dam-  
nationis obnoxij perijssimus, nisi clementis Dei iudicio essemus  
servati. Cum enim mens humana, a peccatis corrupta, DEV M  
tanquam vindicem iustum auersaretur, ira Dei arderet, lex sa-  
tisfactionem urgeret; descendit de caelis parris aeterni aeternus fi-  
lius, & in se recepit onus illud, quod totus terrarum orbis sustine-  
re minimè potuisset. Hic igitur totam adimplevit legem, hic a-  
eterni patris iram placavit, hic pro peccatis debitum appendit pra-  
cium. Neq; unquam fieri potuisset, ut aut cum Deo homines,  
aut cum hominibus Deus rediret in gratiam; nisi huius benigni-  
tate ita actum esset. CHRISTVS enim homo natus crucifigi-  
tur, crucifixus moritur, mortuus sepelitur, sepultus peccata no-  
stra abscondit, & in profundum maris, ut Propheta verbis utar,  
abijcit. Resurgit autem sine omni peccato, & sic demum iusti-  
ciam nobis benedictionemq; largitur. Nunc itaq; quis est tam de-  
mens, qui, detento Christo in morte, iusticiam donari nobis arbi-  
tratur? Potens fuisset Christi iusticia, potens meritum, sed poten-  
tius peccatum, quod in morte illum & maledictione detinuisset:  
Detento autem illo, quã spem iusticiae, aut benedictionis habuissim-  
us? Id profecto, quod lucidissimè exponit Paulus, organon ille  
Dei, dum inquit, Nisi CHRISTVS resurrexisset, adhuc esse-  
mus in peccato. Quare, deleta peccatorum tabula, impleta legis  
iusticia, exstincta Dei ira, nos resurrectione Christi, iusticiaq; frui-  
mur, & liberati sumus à pernicie illa, quam in nos omnes lex Dei  
iam dudum destinauerat.

B

Quid?



Quid? quod libertas nostra, quæ perpetua seruitutis iugo oppressa erat, beneficij huius dignitate vindicata, & in integrum restituta est? Deleuit enim Christus maculam istam, quam superiori tempore in Paradiso susceperamus, quæ penitus iam insederat atq; inueterauerat in generis humani nomine: quod is, qui vno die totam terrarum orbem, vno pomo atq; vnis blanditijs, ad æternam mortem ac damnationem perduxerat, non modo adhuc pœnam nullam, suo dignam scelere, susceperat, sed ab illo tempore annos iam plurimos regnaret, & ita regnaret, vt se nõ in inferni latebris occultare vellet, sed emergere ex isto regno, & in populo Dei, hoc est Ecclesie luce versari. Etenim triumphauit Michael, triumphauit familia eius de Sathana, nobilissima creatura & angeli præstantissimi: sed ita triumpharunt, vt ille pulsus, superatusq; regnaret. Cum enim superbientem ipsum de cælo exegissent, in terram venit, ira & odio inflammatus, ardebant oculi, totoq; ex ore crudelitas emicabat. Sinite hoc loco, Auditores, præterire me nostrã calamitatem, quæ tanta fuit, vt non ad agentem aut nationem aliquam: sed ad omnes mortales vniuersos & singulos pertineret. Non enim ad obliuionem veteris belli: sed ad comparationem noui omne reliquum tempus transtulit. Quod, cum indicare Maieitati ac potentie diuinæ minus posset, inferre ijs tentauit, quos fraudi suæ minimè obstituros esse cognoscebat. Tollebat ex animis hominum sanctissimam religionem, vt cultum & honorem Dei tolleret: Instituebat contemptum mandatorum diuinorum, luxuriam, auaritiam, rapinas, cedesq; nefarias, quæ literis comprehendendi nullo modo possunt. Quid de Abele dicam, quem per Cainum in agro furtim obtruncabat? Quot seditiones commouit? quot bella suscepit? Tum verò Ecclesiam vniuersam petebat, templa Dei immortalis, vitam omnium sacerdotum, gregem deniq; Dei totam ad exitium & vastitatem vocabat, designabat ad interitum vnumqueng; nostrum, capere eius furorem pij & in sacris occupati non poterant, neq; effugere hanc tam tetram tam horribi-



horribilem, tamq̄, infestam pestem Ecclesia, cum aequaliter in populum Dei, in suos, in mundum irrueret. Quid autem de morte commemorem, quæ, Diaboli comes, faucem inferni secum adducebat? Capti nos omninò & seruituti sempiternæ eramus addicti. Mors enim peccati, cui nos omnes inserviebamus, est stipendium, ex cuius vinculis eximere se quis potuisset? Diabolus homines seducebat, seductos mors occidebat, occisos inferni fauces concludebant. Innatum, innatum omninò nobis malum erat atq̄, infixum, ad quod effugiendum nulla vis, nullum robur, nulla valebat potestas. Lugebat Ecclesia, mærebat sanctorum ordo, qualibet templa confecta senio erant, squalebat religio, afflictabatur cultus diuinus: Tum tu omnipotens æterne Deus ex tuo altissimo throno ad hunc puniendum oculos aperuisti. Tuq̄, ô dulcissime IESU, cum animæ piorum in inferni faucibus abdite, incluseq̄, mærent, Ecclesia gemeret, orbis ipse terrarum lugeret, superasti illud funestum animal, & seruitute fracta, libertatem nobis recuperasti. Et certè, si altius intueri ac diligentius contemplari redemptionem nostram velimus, videmus pulcherrimè notatam illam ac præsignificatam esse, in exitu Israelitarum ex AEGYPTO. Cum enim Israëlitarum gens à Pharaone oneribus non tolerandis expressa premeretur, verberibus sauisimis coerceretur, seruituteq̄, grauissima affligeretur, iussu diuino AEGYPTUM relinquebat, Pharaonem eam cū selecto exercitu insequeretur. Quid præterea? Populo Dei ad mare rubrum accedente, vnda ipsa ex vitroq̄, latere quasi in montes arrecta, viam ei præbuit. Hostis autem vindictæ cupidus, cum idem illud iter ingrederetur, obruitur, & æquoris vi submergitur, ita, vt non ex interitu nuncius, sed ex sermone rumor ad AEGYPTIORUM aures peruenerit. Idem & nobis contigisse cernimus. Nam, cum hostis nos sauisimus coerceret, cum nos omnes exstinctos atq̄, deletos vellet, auxilio diuino, periculorum profunditatem traiecti, ex istis angustijs sumus erepti. Et pugnante Christo, teterrimus ille hostis victus est, atq̄, in inferni



voraginem alligatus. Quomodo verò hoc accidit? Mirabiliter  
certè. Vt enim è seruitute nostra fieret dominatus, ex Christi do-  
minatu seruitus est facta. Et quemadmodum per serpentem dia-  
bolus hominem, sic per hominis formã potestate dissimulata Chri-  
stus diabolum est aggressus. O admirandam cladem: o mirabile  
prælium: Mors cum vita pugnam inijt, cepit, necauit; Mors au-  
tem vitæ superauit mortem, suslulit, deuorauit: Nihil vires mor-  
tis, nihil robur, nihil ardor potuit. Primum hominem in horto  
vicit, vincere alterum eodem modo conabatur. Aggredebatur  
enim ferocissimè unigenitum Dei filium, circumueniebat Domi-  
num & creatorem rerum omnium; debilitabantur Christi vires,  
crescebat ardor, sudor cruoris toto ex corpore dimanabat. Tantum,  
Auditores, tantum potuit lapsus primorum parentum. Tanta molis  
erat diuinam condere gentem: Quid autem mors, cessabatne?  
Minimè, sed magis, magisq; instabat, vrgebat. Tandem à morte  
vita est victa, victa autem? Imo victoria compos facta. Tantum  
enim Christus mortuus potuit, quantum viuus efficere non potu-  
isset: & mors eum paulisper deprimere, non in perpetuum oppri-  
mere potuit. Descendit ad infernum, tyranni artem debel-  
lauit, contriuit caput serpentis, Sathanam cathenis alligauit, pro-  
strauit mortem, animas hominum vinculis durissimis afflictas  
secum deportauit. Nam tertio post mortem die, diuina potentia  
resuscitatus, de hostibus imperantibus triumphum egit, liberta-  
temq; priorem, Adæ lapsu amissam, nobis restituit. Ita vt meritò  
iam cum Propheta exclamemus, Mors ubi aculeus tuus? ubi tua  
infernum victoria?

Quod verò animi nostri, quod ius perpetuæ possessionis habe-  
re potuissent, dominante furiosissimo hoste diabolo? Potuissimus-  
nè Deum patrem appellare? potuissimusnè in vitam ingredi ater-  
nam, Christo à mortuis non resuscitato? Minimè gentium. Eisi  
enim initio ad imaginè Dei cõditi, immortalitatē & vitã eternã  
eramur adepti: tamè grauissima Dei sententia ex vita mortē ex im-  
mortalitate mortalitatē nobis sacri transgressio mandati cõparauit.

Es.



Et sic à Deo auersi, diuini regni possessionē amisimus, ad diabolū autē conuersi, diabolici imperij nacti sumus hæreditatem: Qui quidem regnum suū ampliāre nō est moratus: sed summo studio, summo ardore, summaq; diligentia in id incubuit, ut homines ad se, si non vi, saltem blanditijs alliceret. Fontem etiā gratiæ, portum omnium gentium, refugium afflictorum deturbare & insercludere est conatus. Verum huic malo ut succurreretur, mediator, redemptor ac saluator noster è sepulchro resuscitatus, concussa Diaboli licentia, arcu mortis fracto, libertate pristina restituta, fratrem se nobis dedit, regniq; cælestis nos participes fecit. Neg, enim aliter existimare possumus, nisi verborum Christi planè simus ignari atq; expertes. Quæ autem verba? Renunciate, inquit ad Mariam, fratribus meis, me ascendere ad patrem meum & patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum. Iam si filij Dei, si fratres Christi sumus, cur non & cohæredes regni & possessores vitæ æternæ essemus? At ego non sum Petrus, ais, non Apostolus, sed peccator. Quis Petrus? qui Apostoli? Nonnè Petrus dum abnegauit? nonnè deseruerunt reliqui? Quod si illis parta est resurrectione Christi fraternitas, cur non & nobis, cum præsertim non tristem solum, sed etiā salutarem literam Christus reliquerit, & singulis ad se venientibus tranquillitatem, recreationemq; promiserit? O felices nos, quos non erubescit ipse Dei filius fratres appellare: Felices, inquam, qui grato animo susceperint: Ingratos, qui nomen hoc sanctissimū prophanarint: Miseros qui emiserint.

Sed nimis diu detinere eos videor, qui cætera beneficia iam dudum expectant: Quam ergò pacem conscientie resurrectio Christi affert? quam Consolationem animis? Non potest dici satis, Auditores, ne cogitari quidem, quantum ad gaudium conscientie faciat huius beneficij recordatio. Etenim quoties hominum animus pericula, quibus vitæ humana est exposita, perpendit, quoties iram Dei, mortem ac æternam damnationem cogitat, toties



mœrore confectus, horroreque perculsus iacet atque prostratus. Neque hoc immerito; Mens enim afflicta, si, hac resurrectionis consolatione non armata, ad Moysen demigraret, quidnam consequeretur? quid responsi foret? quam recreationem inde secum porteret? Iram Dei tibi denuncio. Cur? peccasti. At, non bona etiam egi? perfectam obedientiam requiro. Sed eam nemo potest prestare. Non curo: Omnes igitur homines morientur? Maledictus omnis, homo, qui non manet in omnibus quae scripta sunt in lege hac. Qualis hac, Auditores, qualis est consolatio? qua pax? Hic certe cum Deo non modo nulla pax reperietur: sed bellum perpetuum manet & permanebit. Omissa igitur Moysen ad hunc ipsum Dei filium confugiemus, ubi longe aliam sententiam consequemur. Quid angeli ad sepulchrum? Nonne mœrorem deponi ac pavorem iubent? Quid Christus, foribus clausis ad discipulos veniens? Nonne pacem offert? Nonne, ut perturbationes omittant, admonet? Huc igitur accedite, qui laboratis & onerati estis, hic inuenietis requiem animabus vestris. Hic nos non solum à calamitate vindicat: sed etiam à metu calamitatis defendit.

Ad id nunc venio, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de beneficiorum genere dicturus, resurrectionem corporum nostrorum ex una Christi resurrectione pendere. De hoc num dubitamus, si Christum caput nostrum esse credamus? Quomodo autem caput resurgere potest, si non membra sua secum educat? Et certe ut culpa Adæ iratum, meritum autem Christi placatum Deum reddidit: sic lapsus Adæ lapsum & mortem, meritum autem Christi resurrectionem nobis & vitam comparavit. Nonne multos Christus mortuos vitæ restituit? nonne sanctorum corpora, è vinculis mortis erepta, post resurrectionem ipsius visa sunt? Vos enim Hierosolimitani tumuli atque montes, vos, inquam, imploro atque obtestor, qui, huius lugentes intentum, estis concussi, multosque iam pridem sepultos vitæ restitulistis. Tuque, ô terra, quæ commota Christi corpus emisisti, olim in extremo huius mundi die



die per hunc eundem concussa aperièris, mortuosq̄ omnes, quos in visceribus tuis nunc tenes recōditos, euomes, & in vitam emittes. Resurgent ergo corpora nostra, & ut per baptismum sepulti sumus cum Christo, sic per ipsum uiuemus in æternum. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio in id incumbere, ut gratias agatis pro beneficio, quo iusticia ac libertas nostra, possessio regni cœlestis, conscientia tranquillitas, ac corporum nostrorum resurrectio comparantur.

QVONIAM de genere beneficiorum dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Atq̄, ut eò facilius magnitudinem tantam percipiatis, considerate, quanta in vniuersos nos & singulos beneficia cunctis temporibus diuinitus sint collata. Ita enim poteritis, quod & quantum hoc sit beneficium, diiudicare. Creauit nos diuina maiestas, animoq̄, ac ratione præditos ab omnibus alijs bestijs separauit. Oculos dedit tanquam speculatores, altissimum locum obtinentes; quibus molem huius mundi & artificium adhibitum aspicere possimus. Aures dedit, in altis corporum partibus collocatae, ut sonum, qui natura in sublime fertur, recipiant, atq̄, mandata diuina per eundem percipiant. Linguam dedit sermonis participem, ut de mirandis cœli & mundi operibus differamus, ipsumq̄, effectorem celebremus. Animum dedit, quo nihil præstantius, neq̄, diuinius vllum; ut non solum res sentire, sed rerum etiam causas scire valeamus. Adde quod singula membra ita disposuit, ut erecto corpore cœlum intueamur, ac sapientiam creatoris immensam, potentiamq̄, testemur. Eduxit nos ex tristibus materni uteri tenebris in hanc amplissimam sedem, cœlesti luce perfusam, atq̄, illustratam; seruauit nos ab omnibus periculis incolumes, ab ignis vi protexit, à metu liberauit. Nil fluminum procella, nil tempestates nocere nobis, nil inimicorum aut hostium odia obesse potuerunt. Hæc singula si perpendimus, si contemplamur, nonnè summa beneficia esse confitebimur? Quid autem ea  
omnia



omnia nobis prodesse, nisi redemptione ac resurrectione Christi spem vite aeternae essemus adepti? Atque id aperte quidem D. Ambrosius fateatur, cum se plus debere Christo, dicit, quod sit redemptus, quam quod creatus: & certe teste Christo melius esset non vivere, quam miserè. Quid de Christo dicam? quid merita eius veneranda commemorem? Deserit gremium aeterni patris, & sinum virginis mortalis occupat; Deserit gaudia regni caelestis, & miseras terrestri imperij aggreditur; Deserit vitam, & mortis existit obnoxius: Deserit diuitiarum abundantiam & paupertatis onus subit grauisimum. Quanta autem in hoc terrarum orbe passus est? quanta pertulit? Summa in paupertate nascitur, natus ab Herode ad necem queritur, fugatur, eicitur. Neque hoc ab Herode solummodo, tanquam ab hoste ei contigit, sed à populo etiam suo, ad quem saluandum hunc mundum erat ingressus. Mitto calumniarum iniurias, mitto nefarios hominum sermones, mitto expulsam ex hereditate paterna filium. Praeterea & id, quod tantum spacij, in quo caput deponeret, non habuerit. Proditur à ministro, manibus peccatorum traditur, ligatur, ad Iudicem deducitur, irridetur, virgis ceditur, cum interea nullus gemitus, nulla vox inter dolorem, crepitumque plagarum audiretur, sed secundum Prophetam, ovis instar, ante faciem tonsoris obmutescens, tacitus quoslibet cruciatus toleraret. Quid postea? Causa dicitur, Innocentem Christum esse. Sed Phariseorum furoribus & populi rabie tandem damnatur, ex urbe eicitur, cruci affigitur, & post exprobrationum fluctus moritur. O immensam Dei clementiam. O eximiam misericordiam. Hic iam expleta sunt ea, quae lex, quae peccatum, quae diuina requirebat ira. Nunc verò nisi resurrexisset, quid auxilij ex hoc in nos redundare potuisset? periisset omnino, periisset terrarum orbis, nisi ruptis mortis vinculis, & effractis inferorum repagulis saluus Iesus Christus euasisset. Quantulum, Auditores, quantulum fuisset Christum, ut cum D. Paulo loquar, fuisse mortuum propter peccata nostra, nisi resurrexisset propter iustis.



stificationem nostram? Quamobrem sit dies clarus ille, quo filius Dei humanam naturam assumpturus arcem & thronum reliquit gloriæ: celebretur eximio honore lux illa, quæ primum natum Christum hominū obtulit oculis: sit in æterna memoria tempus illud, quod mortem redemptoris nostri, ac satisfactionem pro peccatis perspexit. Sed huius profecto diei dignitas, quo, destructo inferno, superata morte, vita nobis reducitur, & omnium Christi meritō fructus capere datur amplissimos, summa & maxima semper erit & permanebit: ex eo enim quod resurrexit, Auditores, declaratus est filius Dei. O pulcherrimum igitur trophæum, o summum mysterium: o factum omni lætitia prosequendum, & æterna memoria celebrandum.

Quid? quod recordatione huius beneficij mortis dolores sedantur, quibus omnium nostrorum vita exposita est & subiecta? Quanquam enim patri redemptor satisfecerit, peccatorem sanavit, mortis aculeū fregerit, tamen pernicies illa insidet & inhaeret in visceribus humani generis, & ut paucis multa complectar, omnibus nobis est moriendum. Cum igitur vires debilitatæ cessant, cum robur fractus concidit, pallent membra, sanguinis calor in frigus euadit horridum, cum nos mundus relinquit, creatura deserunt: Mors autem cum lege, peccato, inferno stipata appropinquat, cum oculorum lux tenebrarum caligine opprimitur, linguae vis adimitur, corpusq; sensibus omninò exhaustum, spiculis mortis obijcitur: tum demum hoc unum est, quod consolationem præbere potest. Recordatione enim resurrectionis Christi dolor mortis fugatur, inferni vis spernitur. Quis igitur tam iniustus rerum erit estimator, qui summum hoc appellare beneficium dubitabit? Quis erit, qui hoc non dignitate solum reliquis omnibus præferet, sed etiam utilitate?

Sed, si adhuc de magnitudine huius beneficij dubitatis, reuocate quæso in memoriam authorem eius, & considerate, quinam sint ij, in quos tanti beneficij utilitas emanarit: Intellegitis profecto,



profecto, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto gloria  
tanta sit, ut hostes Dei, & filij iræ amici eiusdem & filij gratiæ  
euaserint. Ipse enim Dei filius, cum tot acerbitates homo sustinu-  
isset, tot pericula subisset, in cruce sanguinem effudisset, mor-  
tuus deniq; infernum ac mortem debellasset: tertio die resurre-  
xit, & possessionem regni sui nobis, nobis, inquam, aduersarijs suis  
restituit. De quorum igitur salute actum est? rogas? de hostium  
Dei. Quis eos sanauit? Christus. Quis redemit? Christus. Quis  
resuscitabit? Christus. Ad quid? Ad honorem & gloriam Christi.  
DEVS bone quid agi potest clemētius? Videte igitur, Auditores,  
num dubitandum vobis sit, summum illud statuere beneficium,  
quod dederit filius Dei, acceperint hostes; cuius etiam vis tanta  
est, ut recordatio eiusdem terrorem mortis tollere valeat; cuius  
dignitas omnium beneficiorum dignitatem antecellit.

SATIS mihi multa verba fecisse videor de beneficiorum  
genere & magnitudine; quamuis nemo hominum tam diuina  
præditus sit eloquentia, ut hæc satis enumerando percensere, ne-  
dum complecti orando possit: quoniam & temporis spacium, &  
mea non plura concedat imbecillitas; Restat autem, ut de gratia,  
pro resurrectione Christo IESU agenda dicendum esse videatur.  
Hic verò non opus erit verborum copia, saltem teneatur memo-  
ria, ad quid diuina nos creauerit maiestas, cur ab alijs creaturis  
nos, ratione præditos, seiunxerit, dona auxerit, cognitionem no-  
minis sui, id quod maximum est, patefecerit: Nonnè animo nos  
donauit, ut opera eius agnoscamus? nonnè lingua, ut celebremus?  
Est enim hæc, Auditores, non ab hominibus scripta, sed à Deo da-  
ta lex, quam non solum è sacra scriptura didicimus, legimus, ac-  
cepimus: verum etiam ex natura ipsa diuinitus arripuimus, hau-  
simus, expressimus, ut, si Deum, si mundum, & omnia opera im-  
mense potentia ac sapientia vestigia contemplamur, si beneficia,  
omnibus ætatibus humano generi ab ipso præstita, animaduerti-  
mus.



mus, ex creaturarum nobilitate nobilitatem creatoris iudicemus,  
præstantiam admiremur, pro beneficijs acceptis gratias agamus, &  
laude perenni prosequamur. Quod si pro singulis meritis diuina  
clementia diuincti sumus, quid de hoc beneficio statuemus? qui-  
bus laudibus prosequemur, qua reuerentia complectemur? Edu-  
xit nos antea ex carcere uteri materni: nunc è laqueis Sathana li-  
berauit. Donauit nos antea possessione huius mundi, nunc cele-  
stis regni hereditate exornauit. Curauit antea, ne quid corpora  
nostra detrimenti caperent: nunc animabus nostris requiem ac li-  
bertatem comparauit. Adeste igitur animis, qui adestis corpori-  
bus, & quid pro resurrectione Christo debeat, cognoscite. Sur-  
rexit Christus à mortuis, Quis enim negabit? Testis est sepulchrū,  
quod, diuina vi apertum, Christi corpus uiuum reddidit. Testis  
est militum cohors, qui huius miraculi oppugnator, repente propa-  
gator eiusdem exstitit. Testis est hortus ille, qui ducem uitæ antea  
mortuum, iam uiuum Mariæ demonstrauit. Testis est Emahus,  
quæ, Cleopha & Nathanaëlis comitem, redemptorem nostrum  
exceptit. Testis est discipulorum numerus, qui sapissime uerba  
ipsius, et cōsolationes dulcissimas per quadraginta dies istos, quibus  
cum ipsis uersatus est, percepit. Testes uerò iam omnes gentes ac  
nationes, in quibus Euangelij doctrina, post ascensionem eius di-  
uulgata, prædicatur. Nonne hac resuscitatione ipsius parta nobis  
munera gratiam sunt merita? Quæ nisi tam magna esse fatear,  
ut ea nullius mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Quid  
angeli? nonne letantur, & nobis de salute nostra gratulantur?  
Quid vestes candida? quid conciones ad mulieres suauissima a-  
liud, quam gaudium ipsorum designant? Gaudent autem angeli,  
ad quos munera ista non pertinent? Quanto magis nobis, quibus  
tanti honoris tantorumq; beneficiorum hereditas traditur, letan-  
dum & exsultandum fuerit? Nisi forte horrendam ipsorum spe-  
ciem malitis, quod milites, tumuli custodes, metu perterriti, aspe-  
ctum eorum vix uiui effugerint. Horrenda sanè & magis quàm  
horrenda



horrenda est omnibus impijs filij Dei ex mortuis resuscitatio: & ut lata angelorum species Christi amicos recreat: sic fulgurea hostes deprimat. Nos ergo, si sumus amatores Christi, & parva ab ipso bona exspectamus, laetemur, & cum gratiarum actione ipsum laudemus. Non enim amici esse possumus, ut non leticia & consolatione afficiamur, cum praesertim nulli sint hostes, qui non horrore & formidine, resurrectionem Christi contemplantes, affligantur. Sed pro officij vestri ratione, quoniam hostes Christi timere & auersari hoc miraculum cernitis, videte, quid vobis amicis agendum esse existimetis. Aliae gentes diuinos honores tribuunt ijs, qui Tyrannos necauerunt, quod accepimus à Romanis, quas res diuinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina propè ad immortalitatem & aeternam memoriam consecrarunt? Nos eum, qui non solum corporum nostrorum, sed animarum etiam hostem infensissimum & gigantem importunum diabolum expulit, exterminauit, eiecit, qui non mundanas nobis, sed caelestes opes comparauit, qui, morte eradicata, vitam introduxit? eum inquam, triumphantem nullis honoribus accipiemus, nulla gratiarum actione introducemus, nullis laudibus extollemus? Maiores nostri saepe lacrymis huius triumpho praestantiam exoptarunt: Nos iam peractum non curabimus? Spem salutis quod erant adepti, gratias Deo quam maximas egerunt: Nos eum regem celebrari non patiemur, qui salutem ipsam morte & resurrectione sua nobis exhibuit? Illi redemptionem futuram predicarunt: nos iam oblatam negligemus? Messiam verbis praesignificatum coluerunt: nos re ipsa demonstratum sine laude relinquemus? Videamus, ne, ut illis saluberrimum fuit, spem in promisso saluatore collocare, & futura beneficia laudibus exornare: sic nobis perniciosissimum sit, redemptorem exhibitum spernere, & munera iam tradita nullis honoribus celebrare. Quid? quod Deus ipse per Prophetas hunc exornari praecipit & celebrari diem? Iubet rex poteris. iubet Propheta sanctiss. David letari nos hoc die & gratias agere



agere Dno. Confitemini, inquit, Domino, quoniã bonus, quoniã in  
aternũ misericordia eius. Postea de lapide ab edificantibus repro-  
bato sermonem instituit, & diem istum Domini esse exclamat.  
Hæc est dies, quam fecit Dominus, letemini & iubilemus in ea.  
Quis autem lapis reprobatus ille, qui in caput anguli euasit? non-  
ne Christus? Est, est profecto Christus lapis ille, quem basin Deus  
& fundamentum posuit, ut omnes in eo acquiescant electi. Di-  
rectum igitur est ad huius gloriæ memoriam mandatum illud di-  
uini vatis, & ad hoc tempus pertinet gaudium illud, quod recor-  
dationem resurrectionis Christi à nobis efflagitat. Idem tu à no-  
bis exigis ô Diue Paule, qui latum festum in recordatione resur-  
rectionis agere præcipis. Vos autem Auditores, num diuina vo-  
luntati parendum sit concludite. Nolite, si ab hominibus pro-  
lata hæc agnoscitis, minus diuina illa existimate. Spiritus enim,  
Spiritus est, à quo hæc proueniunt, modò Christo, qui idem illud  
testatur, habendam fidem esse putabimus. Parcamus igitur Spi-  
ritui sancto, & diem festum celebrâtes confiteamur Domino, quo-  
niam bonus est, & eius misericordia in aeternum permanet. Quo  
pacto autem hoc fiat, usus nos docet. Num gratias Christo debi-  
tas persoluamus? Testatur experientia. Quanta enim ingratitude  
hominum animos, quanta obliuio mentes ceperit, satis abundè  
res ipsa declarat. In aeterna memoria & honore passio Christi esse  
debebat; verum, ut iræ inseruiant, sceleratissimè abutuntur.  
Eodem modo vulnerum, cruciatus utilitas, sacramentorum di-  
gnitas nefarijs hominum prophanatur sermonibus. Loquuntur  
enim de afflictionibus, loquuntur de Christi institutionibus, sed  
ita loquuntur, ut melius esset, ad eos nunquam salutarem istam  
doctrinam peruenisse, cum ita nominis diuini ab illis abalienata  
sit recordatio. Tantum igitur abest hominũ pro redemptione ac re-  
surrectione Christi laus & gratiarum actio, ut id, quod maximè  
profuit, in maximum abusum traducatur. Quid enim pontifex?  
quid belua ista Romana? nonnè sacrosanctum Christi sanguinem





tristissimis aspersit maculis, cum indulgentiarum nundinationibus veniam peccatorum exposuit? Nonne extenuavit mortem eius, satisfactionem pro peccatis dum hominum meritis assignavit? Quid autem nos? sequemurne istam insane multitudinis temeritatem? Absit: Sed potius expurgato vetere fermento, panibus vescamur dulcibus: exsuto veteri Adamo, nouo iusticia induamur vestimento. Moueatur nos conditionis nostre miseria, in qua antea sumus versati: Moueatur beneficiorum magnitudo, quae in nos caelitus est collata: Moueatur denique periculorum crudelitas, quam ingratis omnibus impendere constat. Si nos fratres hortarentur & admonerent nostri, ut rem aequè sibi gratam, quam nobis fructuosam susciperemus, ut, opinor, ipsorum voluntati obsequeremur: Nunc nos Christus, qui est communis omnium nostrum frater, de vita corrigenda admonet, & gratiam pro oblato beneficio postulat: huius nos neque auctoritatem verebimur, neque iudicium sequemur, neque vim pertimescemus? Qui nobiscum. Auditores, sic agit & quodammodo tacitus loquitur: Adeste, queso, atque audite, homines: Nulla salus mundo contigit sine me: nullum beneficium nisi per me: Per me unum effectum est, ut iusticia, libertas, vita, pax & resurrectio in terrarum orbe florent: Diaboli furores, quos nulla ratione frenare poteratis, hisce vulneribus à cervicibus vestris repuli: Fregi impetum dominantis, cuius iam vix sustinetis furias iacentis: Ego maiestatem gloriae meae propter vos reliqui: Ego meum corpus & vitam obieci crudelitati hostium vestrorum: Ego me patri pro vobis supplicem tradidi, legem expleui, iram sedavi: Bona mea & patris mei in offerendo corpore & sanguine meo vobis exposui: Tueor vos & tuebor ab omni periculo. Quid iam restat? quid habeo? quid dicam? Quid faciam amplius? Nonne his omnibus tantum effecerò, ut inter vos versetur & habitet nominis mei memoria? nonne impetrauerò, ut in omni hominum catu gratijs agendis

&



Et gratulationibus habendis omni sermone celebrer? Vbi verò  
passionis meae memoria? ubi meritis habendus honor? ubi gratia-  
rum actio? ubi cantus? ubi carmina? Pro laude & gloria, mihi  
debita, ingratitude vestram fero & contumeliam. O frustra  
mei perpeſsi dolores: o spes fallaces: o cogitationes inanes meae:  
Ego, cum aeternam vobis gloriam compararem, laudi meae nullum  
futurum inter vos putarem locum: Sed moniti non sapitis, obiur-  
gati à proposito non desistitis. Haec omnia quanquam ferenda  
non fuerunt: tamen cum unum perire nolim, ut potui, tuli:  
Nunc verò me prorsus contemni, & tot mea merita pro nihilo ha-  
beri, non est ferendum. Quamobrem conuertimini, dum est  
tempus, & statu rerum vestrarum florente, desistite. Reuocate  
in memoriam cruciatus meos, cogitate munera, obliuiscimini ab-  
usus vulnerum & passionis. In animis vestris omnes triumphos  
meos, ornamenta omnia honoris, laudis insignia condi & collocari  
volo: Psallite nomini meo, voluntati satisfacite meae: Suscitari  
vos finite à prauis actionibus, & à me, cum iudex rediero, susci-  
tabimini: Gratias mihi in hac vita agite, & in aeternum mecum  
viuentes agetis. Haec, si nobiscum, ut dixi Christus loquatur,  
nonne impetrari debeat, ut, abiectis calumnijs, honorem illi &  
laudem tribuamus? Morem igitur sanctissimis his Saluatoris  
nostri verbis geramus, meditemur resurrectionem, meditemur be-  
neficia, efficietur per spiritum spiritualis ex peccatorum morte re-  
surrectio, nouitasq; vitae inseruendo Deo exsuscitabit nouitatem.  
Atq; praeterea, quod gratiarum actio, requirit, caueamus, ne men-  
dacij crimen subeamus, sed unde hoc in nos beneficium collatum  
sit, aperte fateamur. Erit enim, Auditores, erit ille dies, & illu-  
cescet quondam haec lux, qua ij, qui CHRISTVM coram  
hominibus confessi sunt, de CHRISTO coram patre con-  
fessionem sunt audituri. Officium autem mutuum, quo-  
ntam tanto beneficio dignum prestare non possumus, sit pra-  
mium virtutis, sit insignia honoris, sit monumentum lau-  
dis.



dis, sit sempiterna huius temporis cum gratiarum actione memoria. Contemnamus diabolum, spernamus mundum. Etenim quamvis nos in summis iam versemur periculis & insidijs, omnique veteris furoris ac scelerum maturitas in nostra vita tempus eruperit; tamen cum praesidem Christum habeamus, nil fremitus eorum nobis, nil saevitia decerpit. Multo enim ille acrius vigilat ad salutem & incolumitatem, quam diabolus ad perniciem hominum & vastitatem. Et cum, quod breve facere confidimus, iudex redierit, secumque suos adduxerit, atque eodem in loco ceteros undique collectos pios aggregaverit, exstinguetur atque delebitur non modo ista tam adulta Ecclesiae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium: Improbi à bonis secernentur, unum in locum congregabuntur, igne denique inexstinguibili in aeternum excruciantur. Hanc mercedem impietatis, hoc premium nequitiae à Pontifice nostro ferent, qui ad dexteram Dei in secula regnat. Regnat Pontifex noster summus, & apud patrem vices nostras agit. Hunc à Deo designatum diuinis afficimus honoribus; Te autem o Papa reijcimus, te aduersamur, te fugimus, qui tot in Ecclesia & tam nefarias perpetrasti caedes, qui ingenuas animarum copias seduxisti: Apage fili perditae, apage sponsa Babylonica, abominatio es, mendacis, caede ac fraude redundas. Indulgentiae & decreta tua in secreta loca sunt abiecta, quibus tu mundum opibus emungebas, Christi sanguinem maculis aspergebas, meritum nefandis ignominijs extenuabas. Expulsa est belua Romana, Te autem o Christe pontificem proclamamus, te honoramus, à te veniam peccatorum exoptulamus, qui fundamentum quasi & petra sustines Ecclesiam. Hic est, Auditores, agnus ille Paschalis, tostus in crucis ligno, cibus dulcissimus filius Dei. Hic est panis ille dulcis, cuius virtute mors in aeternum abiecta exulat: Adiungamus huic sanguinem agni, & nulla cura pectora, nulla anxietas animos perturbabit.

Quoniam



QUONIAM verò nunc ad finem mea peruenit oratio,  
quid superest, nisi, ut verbis etiam animi nostri gratitudinem  
declaremus, pro beneficio tam salutari, ut sermone exprimi aut  
dici non possit, tam magno, ut reliquis sit preferendum. Tibi igitur  
omnipotens aeternae DEVS, pater Domini ac Saluatoris nostri  
IESV CHRISTI, creator & seruator rerum omnium, dator  
vita & sapientiae, tibi toto pectore agimus gratias, qui propter  
nos homines, & propter nostram salutem, in carnem misisti filium  
tuum unigenitum: qui iustissima in nos tua propter eundem ob-  
litus ira, filios nos & haeredes iustitiae & gloriae tuae constituisti:  
qui Sathanae ac morti furiosam istam mentem iniecisti, ut ut ir-  
ritarent Christum tuum, vincerenturq; ab eo: qui colligis Eccle-  
siam, seruas doctrinam, mitigas ac tollis poenas, corpora deniq; ac  
animas nostras aeternis ornas beneficijs. Tibi autem o dulcissime  
Iesu, verbum & imago patris, mediator noster, redemptor, iustifi-  
cator & saluator, quas grates, tot innumerabilibus tuis in nos me-  
ritis dignas agemus, qui, thronum relinquens gloriae, in vallem  
miseriarum descendisti: qui obedientiam patri ad mortem crucis  
vsq; praestitisti: qui de peccato, morte, inferno ac diabolo, comi-  
tatu frequenti ac praeda amplissima resurgens triumphasti: qui  
maledictio factus, maledictionem sustulisti, iusticiam restituiti,  
comparasti vitam, libertatem vindicasti: qui resurrectione tua  
corporum nostrorum resurrectionem impetrasti: qui summus sa-  
cerdos pro nobis intercedis, peccata remittis, Ecclesiam protegis:  
qui futurus iudex ab omnibus nos periculis liberabis, donabisq;  
gaudio ac leticia perenni. Ad te iam accedimus omnipotens, ve-  
rax, caste, sancte Spiritus, te eadem gratiarum actione prosequi-  
mur, qui incarnationem filij Dei inperscrutabili sapientia effeci-  
sti: qui animos nostros tam salutari de salute nostra doctrina im-  
buisi, vocasti nos ad regnum, confirmas corda ad firmiter diuino  
verbo assentiendum, prohibes peccata, latificas pectora nostra, ut in

D

bona-



bonitate Dei acquiescamus, & dona huius vite ab ipso aeternę  
munera expectemus. Tibi omnino sacrosancta ac veneranda Tri-  
nitas animos nostros sacrificamus, te, pro inexhausta clementia,  
pro immensa beneficiorum, Christi resurrectione partorum, ma-  
gnitudine, qua possumus, gratiarum actione, laudamus: Effice o  
sancte pater, ne tanta filij tui meritorum dignitas nullum nobis  
fructum afferat: Da Spiritum tuum, qui expurget fermentum  
vetus, & pectora nostra noua obedientia instruat, prohibe docto-  
res, nefandum Ecclesię tuę molientes interitum, serua doctrinę  
puritatem, dirige nos in veritate tua. Parentes nostros carissi-  
mos, quibus secundum te plurimum honoris prestare mandasti,  
quiq; vita nostra nobis sunt cariores, conserua. Preceptores, quos  
parentum loco nobis preposuisti, custodi. Studia etiam nostra gu-  
berna, largire dona Spiritus, quę ingenia, hactenus torpentia, ex-  
citant, & ad nominis tui gloriam in studijs prouehant; quę effi-  
ciant, ut Christi resurrectio spirituales in nobis operetur resurre-  
ctionem. Hoc largire precibus nostris, qui cum filio tuo  
& Spiritu sancto gubernas verus Deus in  
secula.

D I X I.




















65689

Ans: 65 689


ULB Halle 3  
000 689 173




56











CASPARIS DELLINGS.  
HAVSII REVALIENSIS  
LIVONI,

DE BENEFICIIS  
PER IESV CHRISTI RESVRRE-  
CTIONEM GENERI HVMANO EXHIB-  
bitis, & de gratiarum actione  
pro iisdem,

ORATIO.



HAMBURGI  
In Officina Typographica Ioannis Bideri,  
Anno Epochę Christianę

CIO. IO. XXCVI.  
Mense Martio.

